

Paul Schütte Georg Vogtländer

Exercitationum Philosophicarum Secunda De Suprema Domina Feudi Philosophici Prima Philosophia

Rostochii: Reusnerus, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn72959968X>

Druck Freier  Zugang



Ru phic 1638

Paul Sajt Martinus

Georg Voitländer



EXERCITATIONUM PHILOSOPHICARUM

SECUNDA

DE

SUPREMA DOMINA
FEUDI PHILOSOPHICI

PRIMA PHILOSOPHIA.

QUAM

DEO TER OPT. MAX.

ANNUENTE.

*Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Consensu in in-
cludâ ad Varnum Academiâ*

SUB PRÆSIDIO

Viri Excellentissimi & Clarissimi

DN. M. PAULLI SAGITTARI,

Belgard; Pomer: Præceptoris & Fautoris sui
æternum honorandi

*Us ex dissertationibus ejus 13. Proæm: & 126. System: maximam
partem decerpeam: Ita jam in ingenij exercitium & veri-
tatis servitium repetitam*

Placido Doctorum Examine

IN AUDITORIO UNICORNIS

*Ad diem Maij, Horis à 7. matutinis veni-
landam offerre & proponere*

GEORGIUS Voitländer Anclam. Pomer.

ROSTOCHII

Typis JOHANNIS REUSNERI,
ANNO M DC. XXXVIII

1638

Clarissimis, Praestantissimis, Doctrina & Virtute Excelsis-
sissimis, Humanissimis

VIRIS-JUVENIBUS

Inclytæ Rhodanthes & Megapoleos Florentissimæ Coronæ,

Studiorum causa, in Rosarum ad Varnum Academia cum laude ad veram gloriam contendentibus, Fautoribus
& Amicis meis pl. honor.

S. & O.

Honor, quem vobis Viri & Juvenes Doctis, Faut. & Amic. colend. debito, debuerat à me vobis fateor libens, ut me attinuit, affectiq; vestra multorum comitas per hoc quinquennium, deferri & exhiberi jam dudum, haec tamen, quod in animo vobis destinavi. calamo eniti nondum potui, quæ est temporum & morum hujus seculi tam violenti, tam turbulenti malignitas; dispiciens verò omnia, non inveni, quo me commendarem vobis melius, quam quod offero jam chartaceum munus, hoc ipsum verò tale quale levitense. Et molâ falsâ litant, qui far non habent bene nostis & ex animo mittentis pondus & precium donario addetis bene interpretantes optime missum, Det pleniora & judicio meliore juxta verius & utilius explicata alia alius; Nemo bonus & fructû uberiores & gloriâ ampliorem laudemve invidet. Ego nec de contra disputantium benevolentia dubius, sicut incomplexus cordatorum *ἐν τῷ πελάγῳ ἀμβούλας* (*πελάγους αἱ εἰς τοὺς πελάγους*) cum boho Deo hucusq; ubiq; gentium ubi quidem vixi & me videndum alijs exposui, nec nunc abhorreo ab humanitate & benignitate Aristotelis. Ramea dexteritate, Philippæ perspicuitate, Lullea veritate & bonitate non indigna, Ego bonæ spei plenus certus inter bonos bene agere oportere, certas in theatrum spectandas positiones succinctas, in hanc ingeniorum meliorum palæstram produco, eo fine, ut velut non nemo è præca sapientiæ Tribuna (quod è Cœlio reperit Slexer. nosser) dicebat olim duo in veritatis via conspiciantur. Intelligentiæ viribus dum geretur res, argumentorum quasi collatis signis, procul ab affectuum imperie & petulantis linguæ confictu, sine iurgiis, sine plebeis rixis *ὄργῃς ἀρπυγιάδων*, quis non lætetur utiq; , vel ab hoste utilitatem cepisse hanc ut non solum se, sed duos esse intelligat in publica humani discursus via. Agite dum igitur *Amici honorandi*, probate animum hunc, qui pluribus se hic explicare nequit, nec verbis pompam vult facere elegantibus, & æstimate vos æstimate. Deus actionibus vestris & conatibus omnibus benedicat ab Alto. Valet Scibb, scriptum in Musco. Rostoch. Anno 1638. Mens, Maij.

V.

SAGITTARIUS Profes.

EXERCITATIONIS SECUNDÆ PRIMO:

PHILOSOPHICÆ,

THESIS I.

Artis hujus philosophicæ consideranda veniunt, partim principia, partim effecta, partim subiecta, partim divisio.

2. *Artis principium* est vel *δοτικόν*, vel *ποιητικόν*, vel *συμπληρικόν*, vel *πληρικόν*, h. e. *Dativum*, *Effectivum*, *Constitutivum*, *Absolutivum*.

3. *Principium Dativum* seu *Causa prima absoluta*q; liberalis artis est ipse **JEHOVA**; omnis boni autor & largitor *Opt. Maximus*. Is enim artem philosophicam homini in sevit, donavit, insinuavit. *Insevit* in prima creatione & ita cum imagine divina concreavit, ut habitum *Essentiæ facultatum*q; humanarum non constitutivum sed perfectivum. *Donavit* in restitutione, dum ut gratiosissimus in naturæ circo restaurator naturam destitutam philosophicè quoq; restitutam clementer voluit. *Insinuavit* in illustrium exemplorum usu diligentissimo, frequentissimâq; *exercitatione*.

4. *Principium Effectivum* seu *causa secunda determinatâ*q; *Principalis* est, vel *Instrumentalis*. *Principalis* est homo solers, sapiens, ingeniosus, cui singularem Deus inveniendarum & constituendarum artium afflavit facultatem. *Quales* primi nostri suere *Parentes* eorumq; *poster*i, singulas rerum naturas indagine solerti operosâq; scrutati.

5. *Instrumentalis* autem est *Externa* vel *Interna*. *Externa* materiam & *Archetypum* artis conformandæ exhibens, est antecedens *usus* philosophicus, in exemplis naturalibus & rationi directè subiectis, occupatus. Is igitur principium est artis *exhibitivum*; sed non quivis, sed eruditus & illustris, certus & constans, summorumq; *Philosophorum*, *Historicorum*, *Oratorum* & *Poetarum* autoritate comprobatus. Et hinc est, quod tanta duntaxat cujusq; sit artificis & artis autoritas, quanta usu demonstrari potest; utq; in *Theologia* tantum valet; *αὐτὸς ἔφατ*: sic in *Philosophia* dicendum; *Exploretur* usu, dicente *Berub. disp. de arte princip.*

▲ 2

6. *Exem.*

6. *Exempla verò vel immediate per se, vel mediate per aliud percipiuntur. Exempla quæ per se percipiuntur sunt αἰσθητικὰ seu sensilia singularia, quæ sub sensum per se statim & immediate cadunt. Veluti sunt omnia colorata; quæ per se sensum ferunt, immediateque percipiuntur.*

7. *Quæ verò per aliud sentiuntur & percipiuntur sunt φαινόμενα, vel κερουμμένα. Φαινόμενα sunt, quæ per aliud manifeste sub sensu cadunt; ut Eclipsis Lunæ vel Solis, quæ per colorem cernitur. Κερουμμένα sunt, quæ per alia latenter & obscure sensibus insinuantur; ut sunt Essentiæ spirituales: quæ per alia latenter in sensu introducuntur. Illud verò, quod Breig. in Strict. Antiscill. non una de Causa, sed quasi obiter repetendum censet ex illis, qui non in cortice rerum, sed in medullis ingenij, figunt aciem, sic & ipse verum amplector, quod plures sunt modi, quibus in sensum aliquid venit. 1. per se, ut colores. 2. per suas partes ut mons aureus. 3. per effectus, ut Deus. 4. per aliquam similitudinem, ut res antea non visa, per suam imaginem. 5. per opposita ut tenebræ cæcitas. 6. per sua fundamenta, ut relationes, notiones secundæ.*

8. *Archetypus autem nihil est aliud, quam subjectum artis formale, modale, doctrinale, quod cognitionis appellant; quodque sibi proponit ars definiendum, distribuendum, proprietatibus explicandum & exemplis illustrandum.*

9. *Interna, quæ Artis exhibitam materiam ad Archetypum modumque considerandi Philosophicum effingit, percolit, digerit & conformat, est humanæ mentis ratiocinatio, seu, naturalis Dialectica; quæ est inveniendi judicandique, h. e. cognoscendi cognitaque perpoliendi & digerendi facultas & sagacitas menti humanæ congenita.*

10. *Itaque summæ facultates ejus duæ sunt; una inveniendi, altera judicandi. Hinc præclare Vives; Duæ sunt ingenij nostri virtutes; acies ad intuendum & capacitas ad comprehendendum. annot. Keck. l. 1. Præc. Ph. c. 3.*

11. *Naturalis inveniendi vis est prior intellectus facultas celeriter inveniendi id, quod ad propositæ rei naturam perscrutandam accommodatum est; Sicut. Disp. 2. Dial. th. 72. Et exercetur*
vel

vel in singularibus notionibus inveniendis & cognoscendis: vel
in universalibus ex singularibus colligendis & explorandis.

12. Utitur autem in hoc officio facultas illa certis *no-*
tionis & instrumentis; invenit enim singularia per *ἀποψη* & *ισ-*
τιαν: Universalia vero per *ἐπιμαρτυρίαν* & *ἐπιμαρτυρίαν*.

13. *Sensus* quidem Notiones singulares in hominum vita
existentes, & sub ipsum quocumq; modo cadentes apprehendit
primo, percipit, & ad intellectum, ut internuncius aliquis ab-
stractas inde imagines defert. Adeoq; sic cognitionem & artem
inchoat; dum nihil in intellectu, quod non prius quodammodo
in sensu.

14. *Observatio* deinde res illas singulares multas variasq;
sensu perceptas excipit, observat, tanquam notionem notat, &
mente retinet. Non enim satis est sensu quid haurire, sed animo
oportet haurita conservare.

15. *Inductio* porro multarum rerum singularium ejus-
dem naturæ notiones plures sensu perceptas & observatione
notatas colligit, collectas inter se confert, & ex ijs universalem
notionem, multis singularibus convenientem construit ac con-
stituit.

16. *Experientia* deniq; constitutæ notionis universalis
certitudinem sufficienti experimento & instantiarum varietate
explorat, ac perpetuo usu consequente in ejusdem generis ex-
emplis confirmat, confirmataq; suo testimonio absolvit, ut in-
dubitato assentiamur.

17. *Vis naturalis judicandi* universalia confirmataq; No-
tionum inventa vel axiomaticè, secundum tres leges scientificas,
enunciat: vel syllogisticè concludit, deindeq; enunciata conclu-
saq; methodicè ordinat, & ad consequentem usum philosophi-
cum aptat & dirigit.

18. Unde facultas hæc *judicandi* Noetica vel Dianoetica.
Nóησις primum notiones Universales & communes enunciat ac
regulas ex ipsis conformat: easq; vel per se manifestas, vel du-
bias.

19. Regulas per se manifestas efformat *νόησις* ad præscri-
ptum trium legum Philosophicarum, legis videlicet Veritatis,
Justitiæ & sapientiæ.

20. Le^e.

20. Legem quidem *κατὰ φύσιν*, secundum quam præcepta sunt universaliter, & perpetuò vera, suadet non tantum artis finis, humana videlicet hominis perfectio & universalis utilitas; quæ neq; à negatis semper, nec à contingentibus ubiq; perficitur: sed rerum quoq; certarum, quæ usu & exercitatione sunt exploratæ, cum præceptis necessaria omninò congruentia; nisi forsân res certas, præceptis dubijs aut enunciationibus contingentibus quispiam proponendas & ita notiones exploratas probatasq; corrupendas censuerit *ἀλογον*.

21. Legem *καθ' αὐτὴν*, secundum quam consequens antecedenti per se conveniat, non tantum communis ratio servandam obtinet: sed & ordo dispositionis necessariò obrudit; cum heterogenea quidem misceantur, non autem in unum corpus in se perfectum vi naturæ coëant & coalescant.

22. Legem deniq; *καθόλου πᾶσι*, secundum quam artium theorematà sunt reciproca, omnes meliori de luto facti, quiq; cerebrum non gestant in calcaneo, suadent à stulta Tautologia abhorrentes accuratiores Philosophi.

23. Dianoetica, quâ alia sententia ex alia deducitur, vel est *Syllogistica* vel *Methodica*. Regulas dubias *διανοεῖα* Syllogistica per argumentum tertium dijudicat, usq; fidem conciliat per illud syllogisticè dispositum. Methodica verò hujusmodi regulas axiomatico vel syllogistico iudicio notas, è claritatis luce diversa, diversis gradibus ordinat, & ad methodicum canonem *Prioris* & *Posterioris* naturâ, collocat.

24. Principium *constitutivum* est *Materiale* vel *Formale*. *Materiale* ex quo Ars systematica conficitur, sunt notiones complexæ, seu præcepta ex usu philosophico antecedentium observatione de rebus subjectis collecta, secundumq; *δοκιμασίαν* legum censoriarum examinata & probata.

25. Principium verò *Formale* est *methodica* universorum præceptorum *Ordinatio*, à generalissimo summoq; per subalterna & intermedia ad infima & specialissima usq; descendens, naturâq; Prius priori loco statuens.

26. Hanc formam *Essentialem* statuimus artium liberalium in genere: per hanc enim ars est & essentialiter ab alijs rebus

rebus discriminatur; dicente *Timpl. e. i. tech. q. 7.* Hinc Urs. quoq;
disp. 17. C. P. th. 16. Forma & anima scientiarum & artium Metho-
dus dicitur, subscribit etiam Cl. *Keckerm. l. i. Prac. Ph. c. i.* & locis
alijs, *Alsted. l. i. Encycl. c. 5.* alijs; viri præcellentissimi.

27. Hinc consequenter ita concludimus: *Omne præceptum
& Usu philosophico antecedente depromptum ac deductum, sensu appre-
hensum & perceptum, observatione notatum ac retentum, Inductione
& collectum & constitutum, Experientia comprobatum & ratificatum,
κατά πειρὰς verificatum, καὶ αὐτὸ ἐνυμνωμένον, καὶ βίβλη περὶ τῶν ἰα-
δικαίων, syllogisticè conclusum ac illatum, Methodicè dispositum & or-
dinatum, & ad consequentem usum aptatum ac directum, est legiti-
mum, laudandū, tenendū, propagandū & exercendum.* Et hic est sive
Rami & Rameorū Syllogismus Criticus, Censorius, & probato-
rius, de quo, si rectè sentire velis, proba Te nobis, ut bene sit
Tibi, bonisq; partibus & artibus.

28. Principium *Absolutivum* seu causa finalis est humana
hominis perfectio; sed *potentialis & intenta.* Hanc enim seu sco-
pum finalem perpetuò seduloq; respicit & intendit Ars philoso-
phica.

29. Humana verò hominis perfectio nihil est aliud,
quam *Habitus Philosophicus*; qui per Aristot. *Qualitas* est cre-
bris actionibus comparata, difficulter mobilis ex subjecto, qua
redditur id promptum ad ea agendum, ad quæ sua natura non
erat ineptum.

30. Ita principia fuere: *Effectus* Artis philosophicæ est
Internus vel Externus, *Internus* in ipso homine consistens, est
philosophica hominis perfectio; sed *actualis & obtenta.*

31. Itaq; *Habitus Philosophicus* seu ars habitualis *Effec-
tum* est Artis *Doctrinalis & Systematicæ*; sed *Effectum Partia-
le.* Requiritur enim præter artem *Systematicam* ad eum, *Natura
& Exercitatio*; per Arist. 3. Rhet. 13. & alibi. *Natura* incipit &
inchoat, *Ars* dirigit & continuat, *Exercitatio* perficit & con-
summat *Habitus.* Cujus *Effectus* iterum est, promptos nos
facere ad feliciter exequendum id, *cujus habitum contraxi-
mus.*

32. *Effec-*

32. *Effectus* Artis liberalis *Externus* est consequens usus Philosophicus extra artem positus, liberalis tamen, vitæq; necessarius. Estq; duplex; alter ipsius Artis philosophicæ, alter rerum arti subjectarum. Ille vel est Syntheticus vel Analyticus.

33. *Syntheticus* est novi operis ad Ideam & exemplar Artis effectio, & è suis principiis compositio. Diciturq; *Γενεσις*, quia in *ῥησιν* scriptorum & exemplorum diligentissime versatur. *Analyticus* est operis jam facti in propria sua resolutio, & cum artis Idea collatio. Dicitur autem *Ἀνάλυσις*, quia in *ἀναλύσει* occupatur, & cum vitia fugienda, tum virtutes, imitandas scrutatur.

34. *Usus* rerum arti philosophicæ subjectarum est multiplex illa, salutaris & necessaria utilitas, ad quam à Deo res philosophicæ sunt creatæ & destinatæ, quæq; naturis ipsarum conveniens est, & quam ex ipsis homo capit in hac vita maximam, h. e. hujus vitæ gubernatio & sustentatio.

Doctis. Dn. Respond. *Symp. dilect.*

Disposita, arte suâ, *doctrina* benè *indicat* in se
Præcipit ut rerum præcipuasq; *docet*.

Continet in proprio systemate mentis, ut æquè

Explicet ad legem *informes* & *artes* habens.

Explicat, utq; opus est, jam, jam *demonstrat* apertè,

Explicat inq; loco & qua ratione decet.

Ostendit studiosa, inquisita ante *revelat*,

Ut *releves* mentem ex ordine, *monstrat* opem.

Perge velut *pergis* facere arte, & *discere*, *Doctor*

Voitländerere clues, non sine laude, *Bonus*.

Astri potentis *Heri* *Triuno*-*Numine* dante

Clarus eris; *Lumenq;* *Orbis* & *Urbis* eris.

μητὶ ἴερο

ἀντιχέδινος

Præfes.


rebus discriminatur, dicente *Timpl. t. i. tech. q. 7.*
disp. 17. C. P. th. 16. Forma & anima scientiarum
 dus dicitur, subscribit etiam *Cl. Keckerm. l. i. Pro*
 alijs, *Alsted. l. i. Encycl. c. 5.* alijs; viri præcellent
 27. Hinc consequenter ita concludimus
 & *Usu philosophico antecedente depromptum ac deduc*
bensum & perceptum, observatione notatum ac ret
collectum & constitutum, Experientia comprobata
uære uæris verificatum, uæd' aucto enunciatum,
dicatum, syllogisticè conclusum ac ibarum, Methodicè
dinatum, & ad consequentem usum aptatum ac de
num, laudandū, tenendū, propagandū & exercendū
 Rami & Rameorū Syllogismus Criticus, Censu
 riūs, de quo, si rectè sentire uelis, proba Te no
 Tibi, bonisq; partibus & artibus.

28. Principium *Absolutivum* seu causa
 hominis perfectio; sed *potentialū & intentā.* Ha
 pum finalem perpetuò seduloq; respicit & inte
 phica.

29. Humana uero hominis perfectio
 quam *Habitus Philosophicus*; qui per Aristot.
 bris actionibus comparata, difficulter mobilis e
 redditur id promptum ad ea agendum, ad qu
 erat ineptum.

30. Ita principia fuere: *Effectus Artis*
 Internus vel Externus, *Internus* in ipso homi
 philosophica hominis perfectio; sed *actualis &*

31. Itaq; *Habitus Philosophicus* seu ar
 etum est *Artis Doctrinalis & Systematicæ*; sed
 le. Requiritur enim præter artem *Systematicam*
 & *Exercitatio*; per Arist. 3. Rhet. 13. & alibi. I
 inchoat, Ars dirigit & continuat, *Exercitatio*
 summat *Habitus*. Cujus *Effectus* iterum est
 facere ad feliciter exequendum id, cuius ha
 mus.



the scale towards document

lo-
cis
am
re-
one
um,
ju-
or-
iti-
tye
to-
fit
na
co-
fo-
ud,
re-
qua
on
est
est
fe-
ia-
ura
&
on-
tos
xi-
fo-

fasti-...

Dispo. Ind.